

D E D I C A T O R I A .

intra corpus, seu quomodolibet applicata, per se, sine facultatum ministerio, actionis suæ officium implere queant. Ea vel naturalia esse dicit, chymicè electa, quæ varijs nominibus variorum respectu indiget at: vel non naturalia tum à Medico, fide nimirum eius profecta: tum aliundè allata, ab intelligentijs & angelis vel bonis, vel malis. Cùm enim, inquit, Dæmones interiora corporis exactissimè cognoscant, non nesciunt, quâ viâ remedium ad ipsas morbi radices, ut funditus exstirpentur, quàm proximè adhibeant. Deo autem permittente, naturalem planè esse medicinam, tametsi non naturaliter adhibitam. In consideratione quoq; signorum, quæ ad Σημειωτικὴν medicinæ partem reducuntur, varius est. Interdum reijcit signa, interdum admittit, & morbos quidem corporeos per analogismum deprehendi ait, omnes peculiarẽ colorem suæ nature indicem, faciei imprimere, ut Icterus: incorporeos, per remedia spiritualia, quæ tamen certos duntaxat morbos respiciant, cognosci. Tandem in Therapeia prognosin expendit, ut sæpius omnem morbum curabilem pronunciet: nonnunquam de sua fide incertus, id inficietur. Pronunciat tamen industrium medicum,

cum,